



Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Doctrina 2. Desumpta ex cap. 8. 9. & 10. lib. 1. Regum, in quibus describitur filiorum Samuel, quos Judices Israëlitarum ille constituerat, illaudabile Regimen: & hinc ab Illis petitus Rex, id ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 8. 9. & 10. lib. 1. Regum, in quibus describitur filiorum Samuel, quos Judices Israëlitarum ille constituerat, illaudabile Regimen: & hinc ab Illis petitus Rex, id egerrimè ferente Deo. Saulis laus, asinas inquirentis, Prasagium de Regno, unctio in Regem &c.

Considera 1. **P**roverbium illud, quod in Josepho Jacobi Filio, to. N.245. tius Aegypti Prorege, locum non invenerat, invenisse talem in filiis Samuel, ipsò factò testantibùs: *Honores mutare mores, sed raro in meliores.* Enim verò Illi vix Honorem assecuti fuerant, cùm ecce! toti quanti à patria degenerarunt pietate, asserente S. Scripturâ cit. capite: *& non ambulârunt filii ipsius in viis ejus, sed declinaverunt post avaritiam, & perverterunt Judicia.* Hòc pessimò exemplò deterritus S. Greg. M. honores non tantùm ipse fugere, sed parem aliis fugam suadere, & subjectionem amare docuit, dicens in hunc locum: *ut sit nobis sub cura majorum positus indefinens sanctæ vitæ studium &c.* Sponsa bis, terque ad coronam vocari debuit Cantic. 4. sat gnara: ad conservandas virtutes præstare milliès subesse, quàm præesse: ut enim fumus ascendendò deficit, ita plerumque homo cum elevatur, à virtutis tramite recedit. S. Lucas de Deipara testatur Virgine; Illam summa cum festinatione tendisse ad domum Elisabeth cognatæ suæ, ut eidem à servitiis staret: econtra cogitabundam, & stupenti similem hæsisse ad respondendum Angelo, quando ab illo humilibùs verbis salutata audiit: se in Matrem Dei; & hinc in totius mundi Dominam electam esse. Quare Christiane Lector! pete à Deo: *ut constituat tibi Regem, habeatque ille Jus in omnia tua.* v. 5. citati cap. & licet te pœniteat subjectionis, quando nonnunquam à Superiore durius tecum agitur; jugum tamen non nitaris excutere, sed dicas cum Israëlitis v. 20. hujus cap. *nequaquam: Rex enim erit super nos.*

Considera 2. Quàm insigne testimonium, & solemne Encomium N.246. ipse Spiritus Sanctus pro Saulis persona deponat: ait enim cap. 9. v. 2. *Saul electus & bonus, & non erat de filiis Israël melior illò.* Tunc temporis fuerat tantæ Humilitatis: ut delatò ad aures suas rumore, quòd in Regem totius Hebraicæ Gentis sit ungendus, ociùs exclamârit v. 21. citati cap. *Nunquid non filius Jemini ego sum de minima Tribu Israël, & cognatio*

*rio mea novissima inter omnes familias de Tribu Benjamin? quin imò ad regale solium jam actu sollicitè quæsitus, sese abscondit cap. 10. v. 21. Quæserunt ergo eum, & non est inventus. Adeoque opus erat, ipsum revelante Deo fieri manifestum, id testante S. Scripturâ v. 23. citati cap. Taceo virtutes alias, quæ humilitatem cùm Principem suam venerantur, ei quæ conjungi solent. Verùm ò quàm longè diversa his virtuosis Regni Principiis secuta sunt tempora! quot enim Tyrannides, Impietates & Sacrilegia per Rationem statûs patraverat Saul, obtentum Imperium ad mortem usque possessurus? docens exemplò nimium certò, verisimulum esse estatum illud Gregorii M. 3. Pastor. dicentis: *plerumque Justos, dum temporalis potentia sustollit, velut in laqueum culpam comprehendit. Habet hoc Diabolus; ut peritum jaculatorem imitetur, qui scloperum in aviculam non solvit, quamdiu illa per terram saltitat, expectans donec per alas in altum sublata, ramis arborum insideat. Haud aliter ille se gerit erga pios homines, non præsumens eos ad flagitia impellere, quamdiu in humilis fortunæ statu eos repererit ambulare. Quare Philippus Abbas ad locum, in quo Saul miserè cecidit, ingeniosè reflectens ait: Spiritum Sanctum testari, in Monte Gelboë generosissimos & fortissimos Israël occubuisse; quia plerumque (verbis utòr citati Abbatis lib. de Dignit. Cleric. c. 18.) qui in plano & humili videbatur stare, securius & stabiliter ambulare: cùm ad arduum & lubricum venerit, adversario fortius impugnantem non resistit, nec persistit in ea, quæ ceperat Sanctitate. Hinc Christiane Lector! adhortor te verbis Doctoris Angel. cap. 1. de erudit. Princip. dicentis: *recumbe in novissimo loco: hic est locus congruus homini, qui est terra & cinis: terra enim non congruit esse in alto, quæ est infima Elementorum. Cineri enim non congruit, ut in alto sit, ne dispergatur à vento. Satiùs est utique: quærere cum Saule asinas, quàm stabilitatem Regni; quærendò enim in humili subjectione asinas, Regnum invenit, quærendò ejus stabilitatem, Illud totum perdidit. Satiùs itidem est: locum quærere in pede Triclinii, quàm in ejusdem capite, vesci communi cibò, quàm speciali armò, abluì aquâ, quam ungi oleò in Regem. Versari inter Idiotas, quàm inter Prophetas, altissima speculantes, à Populo parum æstimari, quàm audire voces acclamantium; Vivat Rex!***

Doctri-